

[*Andreas Lilienhöck*]

AD <sup>Sam</sup> R <sup>am</sup> M <sup>tem</sup> POLONIAE,  
*Joannem III.*  
 ORATIO

habita à Legato Svecico.

1676.

*B. uniu. G. uniu. rail*

☉☽(☩)☾☿

SERENISSIME & POTENTISSIME REX.



Vi ex diversis Orbis Terrarum  
plagis, ad Sacram Regiam Maie-  
statem Vestram, missi Legati &  
Oratores, Solemnia coronationis  
Maiestatis Vestræ celebrant: aut  
affectus & studia Dominorum & Principalium  
suorum in Sacram Regiam Maiestatem Vestrâ  
exponunt, aut laudem facundiæ cultiq; sermo-  
nis sibi conciliant. Ego metas istas, quas cæte-  
ri ambitioni gloriæq; suæ proponunt, ceu bre-  
via & scopulose vitâdos mihi esse sentio, nè te-  
meritate peccans, vel imprudentiâ, naufragus  
ab abyssso inexhausti profundi absorbear. Co-  
gitatione quidè affeçvor, quanto exuberan-  
tis lætitiæ sensu Sacra Regia Maiestas Sveciæ,  
Rex & Dominus meus clementissimus, acce-  
pturus sit nuntium de felici & auspicatâ sole-  
mnitate inaugurationis S. æ R. æ M. tis V. æ un-  
dè imperandi & parendi mutua ratio in Polo-  
niâ validiùs firmatur; sed me destitutum agno-  
sco

*E. XXVIII 262*

*XXI 275*

*nie not.*

*Poloniæ ca.*

*I 106*



Ico eâ dicendi facultate, quâ par est S. R. M. S. & vota recludi. Ignoscat itaq; S. R. M. V. mihi, si veritus vim, gratiam, & meritum eorum, profanâ oratione meâ contaminare, omnes sermonis partes in religiosum silentium transferam, donec Sæ. R. & M. tis Suxæ iussa, quæ, ob ingentia locorum intervalla, nondum ad me perferri potuerunt, auspicijs Sæ. R. & M. tis. suæ dicturo fiduciam facundiamq; adspirent Interea S. a R. a M. tas V. ra ex immenso suo merito probet & metiatur causas & rationes, cur S. R. M. Sveciæ, S. & R. & M. tis V. & Reipub. Polonæ amicitiam Supremo rerum omnium loco collocet, & exinde exploret quæso S. R. M. V. qualia sint vota ista, quæ M. tas sua pro M. tis V. & Reipub. Polonæ salute, successibus, & gloriâ sit nuncupatura. Plura dicere vetat. formido, nè à cultu & admiratione Maiestatis Vestræ abreptus, in altum provehar, vbi Saceræ Regiæ Maiestatis Vestræ Cœlestis virtus, instar Oceani, tam latè sese porrigit, vt folis astris terminetur. Hæreo itaq; in litore, nau-

fragium metuens temeritatis pœnam, & quæ  
nec velis, nec remis orationis tentare audeo,  
tacitus profundâ veneratione adoro. Rarum  
hoc & insolitum est inter mortales eloquij  
specimen, quippè quo Divina coluntur, quæ  
vri supra sensus nostros sese attollunt, ita quoq;  
sermonis nostri complexu nequeunt compre-  
hendi. Et quemadmodum curæ leves loquū-  
tur, ingentes obstupescunt, & mediocres af-  
fectus disertis sunt, violenti tacendo perorant:  
ita mihi inter illos fluctuanti, Sacræ Regiæ  
Maiestatis Vestræ indulgentia portus esto &  
ancora silentium.

